



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

§. IX. Praesumptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

ret. Demum quando in optato honore ultimus finis statuitur, lethaliter peccatur, creatum enim bonum ultimus hominis finis esse nequit.

Caritas (inquit Apostolus 1. Cor. 13.) non est ambitiosa, caritati igitur opponitur ambitio, ideoque est vitiosa. Nil ambitione est magis adversum spiritui Evangelii, qui humilitatis spiritus est, & humilia, ultimosque recubitus amar, sicut monet Dei filius inquiring: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, sed recumbe in novissimo; quia omnis qui se exultat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 14.). Omnes mundi honores nullius apud nos ponderis esse debent; quia (ait sanctus Augustinus *de Civit. Dei*) nullius ponderis est fumus.

§. IX.

Præsumptio.

Præsumptio, superbiæ filia, peccatum est, quo aliquis ea agere assumit, quæ suas vires superant (S. Th. 2. 2. quæst. 130. art. 1.). Mortale est peccatum, quando grave proximo damnum infert. Sic qui Medicinæ ignarus illam exercere præsumeret, mortale præsumptionis peccatum committeret; quia incognitam sibi artem exercendam suscipiens infirmos mortis periculo exponeret.

Præterea cum præsumptio ecclesiasticum, seu civile officium suscipere aliquem impellit, quod

scientiam suam viresque superat, mortale est peccatum.

Denique mortale peccatum est, quando non mortaliter peccandi periculo exponit. Si quod exempli gratia ex propria experientia sciret contra castitatem peccare, quoties cum fœminis loquitur, & nihilominus cum fœminis loquitur, tentationem se victurum præsumens, hæc præsumptione mortaliter peccaret.

Alia est præsumptio, quæ spei christianæ virtuti opponitur, & committitur, cum perverse de Dei misericordia præsumimus, pœnitentiam, & bona opera ommittendo, aut cum Deum tentamus, & insolitum aliquid ab ejus potentia expectamus, quod Providentiæ suæ ordinem perturbat; vel cum nimis de nostris viribus præsumimus ad bona opera facienda, nec sicut oportet Dei gratiam petimus, nec in Deo spem nostram ponimus. Desperatione minus est peccatum præsumptio, Deus enim ignoscere mavult quam punire; sed semper peccatum est contra Dei potentiam, sine cujus ope nullum bonum fieri potest, & contra justitiam, quæ mercedem iis solis largitur, qui bonis operibus veluti coronam justitiæ illam meruere, sicut peccantes punit. *Idem directius* (inquit sanctus Thomas 2. 2. quæst. 21. art. 3.) *præsumptio opponitur spei, quam timor, quia importat quamdam inordinatam spem de Deo, sperat enim a Deo sine bonis operibus retributionem accipere, quam solis bene agentibus ille promisit.*